

agnoscendi potentias ac virtutes realiter distinctas, dicendum est, ita se rem habere, ut licet substantia sit principium suarum proprietatum et potentiarum, non possit tamen esse principium proximum et immediatum operationum ipsarum sine interventu talium instrumentorum.

Instabis. Substantia perfectior est potentis accidentalibus. Ergo si hæc possunt seipsis absque aliis novis potentis agere, cur non possit substantia absque ullis omnino potentiis operari?—**Respondeo, neg.** conseq., primo quia non semper id, quod potest minus perfectarum species, potest alia perfectior: sic formicam potest formica producere, non tamen homo, neque angelus. Deinde ratio disparitatis est præcise in majori perfectione substantiæ, quia ut in probationibus dicebamus, actus et potentia debent esse in eodem genere, operationes autem sunt quidem in eodem genere cum accidentalibus potentiis et qualitatibus, non vero cum substantia (1).

Objic. 3.^o Potest una forma substantialis eminenter continere gradum perfectionis alterius. Cur ergo etiam forma substantialis eminenter non contineat gradum perfectionis et virtutis accidentalis? et sic poterit substantia per seipsam operari sine accidentalium potentiarium necessitate.—**Resp.** conseq. Quia unam formam continere alterius minus perfectæ gradum perfectionis, probatur evidenter in Philosophia; formam vero substantialem ita continere virtutem accidentalem, ut sine potentiis realiter distinctis ac sibi superadditis operari possit, non solum non probatur, sed repugnare ostenditur ex allatis rationibus.

Objic. 4.^o Si qualitas realiter distingueretur a substantia, posset etiam separari ab eadem. Atqui hoc impossibile est. Nam *tolle ipsa corpora qualitatibus corporum*, inquit Augustinus; *non erit, ubi sint, et ideo necesse est, ut non sint* (2). **Resp. trans. Maj., neg.** Minor.: nec aliud voluit S. Augustinus, nisi quod naturaliter qualitates separari nequeant.

(1) Cfr. Suarez, loc. cit. num. 22.

(2) S. August. (epist. 57 ad Dardan.). Cfr. *Ontolog.* (num. 315, *Objic. 7.^o*, et num. 322, *Secunda pars*), ubi resolvitur, utrum possit substantia divinitus spoliari suis proprietatibus.

Objic. 5.^o Si qualitates distinguerentur a substantia realiter, idem dicendum foret de omnibus proprietatibus; eadem quippe est ratio pro omnibus. Atqui sunt multæ proprietates, quæ non re distinguuntur a substantia. Sic v. g. immortalitas animæ, unitas, veritas et bonitas respectu cuiusvis entis, et respectu quantitatis esse fundamentum æqualitatis et inæqualitatis, etc.—**Resp. dist. Major.** Idem dicendum foret de omnibus proprietatibus *physicis, conc.*: de metaphysicis, de illis nempe rationibus, quæ instar proprietatum a nobis concipiuntur, *neg.* Et simili modo *dist.* ration. additam.

Tum *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Objic. 6.^o Cum operatio sequatur esse, per eam formam substantia dicenda est agere, per quam est actu, et subsistit. Atqui per formam substantialem est actu corporea substantia. Ergo.—**Resp. dist. Major.** Per eam formam dicenda est agere substantia tamquam per principium primum et radicale, per quam est actu, *conc.*: tamquam per principium proximum, *neg.* Plura de his dicentur in *Psychologia*, cum de distinctione potentiarum vitalium ab anima agendum erit.

ARTICULUS III.

Quodnam sit subjectum qualitatum cæt erorumque accidentium corporeorum.

341. Quoniam probatum jam est, dari in corpore accidentia, non solum communia, sed etiam propria, realiter a substantia distincta; quæritur in quonam recipiantur subjecto, utrum in toto composito substantiali, an vero solum in materia prima. Et controversia quidem modo solum restringitur ad accidentia materialia, tum quia de his solum spectat ad *Cosmologiam* agere, tum etiam, quia constat accidentia spiritualia, utpote que non dependent in *esse* a materia, non posse inesse nisi in anima. Nec in ipsis accidentibus materialibus intendimus includere operationes vitales, sive vegetandi sive sentiendi, quarum indoles peculiaris in *Psychologia* declaranda erit, et in quibus major est ratio, cur in ipsa quoque anima tamquam subjecto recipi debeant, ob eam videlicet causam, quod proprium sit immanentium operationum, ab eo tamquam subjecto dependere in essendo,

Status
questionis.

a quo tamquam principio efficiente dimanant. Denique neque etiam est quaestio de illis accidentibus modalibus; si quae sunt, quae ad alterutram partem compositi materialis peculiariter pertineant, cujusmodi est *ubicatio* in sententia illorum, qui distinctas tribuunt materiae ac formae locales praesentias (1). Ad plenam porro controversiae tractationem, duo investiganda sunt: primum, utrum compositum, an vero sola materia sit subjectum accidentium; secundum, utrum materiae inhaereant immediate omnia accidentia, an vero media quantitate.

§ I.—UTRUM OMNIA ACCIDENTIA MATERIAE INHÆREANT TAMQUAM SUBJECTO SUSTENTATIONIS.

Sermo non est de subjecto parte denominationis, sed de subjecto inhaesionis.

Quod primam quaestionem attinet, illud ante omnia notandum venit sermonem non esse de subjecto denominationis, sed de subjecto inhaesionis aut sustentationis. Subjectum denominationis est procul dubio totum compositum corporeum, illius enim dicuntur esse omnia accidentia, seu illud est, quod ab omnibus illis denominatur, quamvis non eodem modo, ut ex Angelici doctrina colligitur, ab aliis nempe simpliciter, ab aliis secundum quid. Quando enim forma denominans non necessario reperitur in parte, sed indiscriminatim reperiri potest sive in toto sive in parte, si solum reperiat in parte, non denominat totum simpliciter; sed ut denominet simpliciter, debet reperiri in toto: quare Æthiops nequit dici simpliciter albus, sed tantum secundum quid et cum restrictione, ex eo quod dentes albos habeat. Quando vero forma denominans nata est esse non in toto, sed in parte, poterit absolute ac simpliciter denominare totum; sicut homo dicitur simpliciter crispus, vel claudus vel videns, licet non conveniant ei hæc prædicata secundum totum compositum (2). Subjectum inhaesionis et sustentationis, ut ex alibi declaratis constat, est illud, quod exercet munus causae materialis, vel illud, a quo forma sustentatur immediate, ac dependet in *esse*. Ac de huiusmodi subjecto instituitur praesens controversia. In qua communis est

(1) Cfr. *Ontolog.*, num. 373, pag. 1068 not. 2.^a

(2) Cfr. S. Thom., 3 p., quaest. 16, art. 8.

sententia Thomistarum (1) et Scotistarum (2), quibus adstipulantur e Nostratibus PP. Rubio (3), Cosmus Alamanni (4) et Sylvester Maurus (5), docentium subjectum inhaesionis accidentium esse totum compositum substantiale ex materia et forma: ita tamen, ut materia sit id, quo subjectum redditur potens *recipere* accidentia, forma vero id, quo idem subjectum redditur capax *sustentandi*. Subjectum enim inhaesionis habet duplex munus, recipiendi et sustentandi formam; et ad primum requiritur potentialitas passiva, sine qua nihil recipi potest, ad alterum vero actualitas, quod enim actu non est, non potest quidquam sustentare. Itaque totum quidem compositum est subjectum accidentium; sed principium quo receptionis est materia, principium autem quo sustentationis forma (6). At vero materiam primam, non vero totum compositum, esse subjectum inhaesionis tenent, post Averroem (7), aliosque

Sententia Thomistarum et Scotistarum tenet subjectum accidentium esse totum compositum.

Nostrates vero communissime post multos

(1) Ita S. Thomas (1 p., quaest. 76, art. 6; quaest. 77, art. 6; opusc. de *Ente et essent.*, cap. 7), quamvis non desint qui de mente S. Doctoris dubitent ob loca quaedam opposita (Vide Lossada loco mox citando, num. 80), Durandus (1.^o dist. 8, 2.^a part., quaest. 4), Capreolus (2.^o dist. 13, quaest. 1, art. 3), Flandria (*Metaphys.*, lib. 5, quaest. 16, art. 17), Sonecinus (*Metaphys.*, lib. 8, quaest. 7, 15, 17, 18), Cajetan. (In cap. 7 *quo de Ente et Essent.*, quaest. 16), Bañez (*de Generat.*, lib. 1, cap. 4, quaest. 9), Ferrariensis (In lib. 4 *Contr. Gent.*, cap. 81), Cardin. Aguirre (*Physic.*, disp. 50, sect. 1), Complutenses (*de Gener. et corrupt.*, disp. 2, quaest. 4 seqq.), Joannes a S. Thoma (*Physic.*, secund. part. quaest. 9, art. 1) etc.

(2) Vide Matrium (*Physic.*, disp. 3, quaest. 1), et Pontium (*Physic.*, disp. 6, quaest. 4).

(3) *De Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, tract. 2, quaest. 4.

(4) *Summ. philos.*, secunda secundae, quaest. 13, art. 6.

(5) *Question. philos.*, lib. 3, quaest. 15.

(6) Cfr. Joannes a S. Thom., loc. cit.

(7) Celebris est sententia Averrois de *dimensionibus interminatis*, quam tradidit in libro *de substantia orbis*; et 1.^o *Physicorum*, comment. 63; et in epitome *Metaphys.*, tract. 2, cap. ultimo: quibus in locis docet Commentator «esse in materia dimensiones interminatas illi coevas et in reipsa ingenerabiles et incorruptibiles, solumque accidentaliter mutabiles. Per *dimensiones* autem *interminatas* nihil aliud intelligit, quam ipsam quantitatem, quae quantum est ex parte materiae nec certam aliquam densitatem, nec raritatem, nec definitum terminum magnitudinis vel parvitatibus, nec peculiarem aliquam figuram postulat. Et ideo sicut materia de se informis dicitur, ita quantitas, ut illi coeva, dicitur interminata, quamquam reipsa semper

Quid sint dimensiones interminatae

veteres
Scholasticae
materiam
primam dicunt
esse subjectum
accidentium.

Aristotelis vetustos Commentatores, Gregorius Ariminensis, Aureolus, Marsilius, Ægidius, alique (1), quos communissimi sequuntur nostri (2). Quamvis enim fateantur isti auctores materiam non posse sustinere accidentia saltem naturaliter, quin informetur a forma, id tamen ajunt esse, non quia ipsa forma constituens compositum debeat concurrere in ratione subjecti, sed quia est necessaria ad ipsum esse materiae. Nempe quia materia naturaliter esse nequit sine forma, neque potest sine illa esse subjectum, quia quod non est, neque subjectum esse potest; ex quo tamen non necessario sequitur debere formam partem aliquam suscipere in munere subjecti, sicut e converso, ut anima rationalis creetur, et primo existat, naturaliter necessaria est materia, et tamen non recipiuntur in ea potentiae spirituales, sed in sola anima.

habeat aliquem terminum juxta exigentiam formae vel actionem agentis; et juxta hanc varietatem terminorum, figuram vel dispositionum accidentaliter mutatur, quamvis in entitate sua eadem semper perseveret». Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3, num. 10). Hanc doctrinam, quantum ad inhaerentiam quantitatis in materia, tenuerunt etiam alii Aristotelis commentatores, ut Simplicius, Philoponus et Ammonius (apud Suarez *ibid.*), et ipsemet S. Thomas refert, et adhibet ad aliam veritatem declarandam non uno in loco (Vide 4.^o *Sententiarum* dist. 12, quaest. 1, art. 2, solunt. 4; *ibid.* dist. 11, quaest. 1, art. 1, solut. 3 ad 4.^{am}, de *Verit.*, quaest. 5, art. 9 ad 6), quamvis in opusculo de *Natura materiae et dimensionibus interminatis* (cap. 4) eandem fuse reprobat.

(1) Apud Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3, num. 10), Rubium (loc. cit.) et Conimbricenses (*de Generat. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, quaest. 4).

(2) Ita v. g. Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3), Toletus (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, quaest. 7), Conimbricenses (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, quaest. 4), Benedictus Pereira (*de communibus*, lib. 5, cap. 18), Rhodes (*Philos. perip.*, lib. 2, disp. 11, quaest. 1, sect. 3, Dico 2.^o), Fonseca (*Metaphys.*, lib. 8, cap. 1, quaest. 2, sect. 4), Hurtadus (*Physic.*, disp. 6, sect. 6), Ovidius (*de Gener. et corrupt.*, contr. 1, punct. 1), Quiros (tract. 5, de *Gener. et corrupt.*, disp. 70, sect. 3, num. 29), Arriaga (*Physic.*, disp. 5, sect. 2, subsect. 2), Suarez Lusitan. (*Physic.*, tract. 2, disp. 2, sect. 2), De Benedictis (*Physic.*, lib. 4, quaest. 1, cap. 6, paragr. 2), Semery (*Triennium philos.*, tom. 3, de *Gener. et corrupt.*, disp. 1, quaest. 3, art. 1), Mayr (*Philos. perip.*, pars. 2.^a, num. 1445 seqq.), Lossada (*de Gener. et corrupt.*, disp. 2, cap. 5).

Et declarari quoque res potest in genere causae efficientis exemplo cujuslibet animae materialis, quia quamvis illa nequit esse naturaliter nisi in materia et in composito tamquam actus ejus; non tamen inde sequitur, quod potentiae vitales compositi viventis fluant effective etiam a materia, sed a sola forma vel anima. Inter has duas sententias quamvis prima multum valeat auctoritate, secunda tamen cum gravi fulcitur auctoritatis pondere, tum forte firmiori pollet rationis fundamento.

342. PROPOSITIO. Probabilius asserendum videtur solam materiam esse subjectum inhaesionis accidentium.

Probatur 1.^o in primis de quantitate. Quantitatis nullum aliud subjectum inhaesionis aptum assignari potest praeter materiam. Ergo.—*Prob. antec.* In perpetuo fluxu mutationum substantialium, qui in natura cernitur, quantitas semper praesupponenda est in materia; neque enim exerceri a naturalibus causis actio ulla potest nisi circa materiam extensam, nec introduci ulla nova forma, sive substantialis sive accidentalis, nisi in materiam, quae sit quanta; est enim haec prima dispositio materiae, ad eductionem cujuslibet formae necessaria. Atqui quantitas non potest dependere in *esse*, vel esse tamquam in subjecto sustentationis et inhaesionis in eo, quod ipsa praecedat. Ergo quantitas cujuslibet compositi, quod de novo generatur per transmutationem sustantialem alicujus prioris corporis, neque dependet in *esse* ab illo priori composito, nam adhuc existit nunc eo corrupto; nec a novo quod generatum est, quia prius existebat in altero. Ac proinde quantitas solum dependet tamquam a causa materiali vel subjecto sustentationis a materia prima, quae eadem est numero in utroque composito, et corrupto et generato. Apposite S. Thomas: *Formae et speciei non debetur locus nisi ratione materiae, in qua fundatur, quae est proprie subjectum quantitatis dimensionis* (1).

Bifariam potest vis hujus argumenti refringi: α) dicendo quantitatem corporis corrupti non esse numero eandem cum quantitate corporis de novo generati: β) admittendo

Sola materia
est subjectum
inhaesionis
accidentium.

Instantiae
contra rationem
primam

(1) S. Thom. *de Gener. et corrupt.*, lib. 1, lect. 15, paragr. d.

mutuam causalitatem et prioritatem inter quantitatem, quæ præsupponenda est ad generationem novi compositi, et inter ipsum novum compositum, ita ut hoc ab illa dependeat tamquam a dispositione necessaria, illa vero ab hoc tamquam a subjecto. — *Verum* prima solutio excluditur ex dicendis inferius, ubi probabitur in corruptione corporis non fieri, ut ajunt, resolutionem usque ad materiam primam, sed manere in corpore de novo generato quantitatem et quædam alia accidentia. Secunda vero solutio continet doctrinam mutue causalitatis, quæ explosa jam est in *Ontologia* (1).

Prob. 2.^o Quantitas hominis non recipitur in anima rationali tamquam subjecto sustentationis. Ergo recipitur in sola materia. **Prob. antec.** Quantitas nequit naturaliter recipi in subjecto, cui nequit suum effectum formalem communicare; hæc est enim lex universalis formarum omnium, sive substantialium sive accidentalium, ut formalem suum effectum subjectis conferant. Atqui quantitas nequit animæ rationali suum effectum formalem conferre; nam effectus formalis quantitatis est reddere subjectum *quantum*, nempe partes habens extensas et impenetrabiles, prout superius declaratum est. Impossibile autem est animam quantam reddi, vel impenetrabilem et extensam, sive per se sive per accidens.

Dices 1.^o Animam quidem rationalem seorsim consideratam non posse recipere quantitatem, posse tamen quatenus materiam informans facit compositum humanum ita, ut sit recipiens quantitatem, non ut *quod*, sed ut *quo*.

Respondeo. Voces istæ *quatenus informans materiam*, et *recipiens ut quo*, vel indicant entitatem animæ immediate affici a quantitate, ac receptionem ejus terminare in seipsa, vel non. Si primum dicas; ergo entitas animæ rationalis, dum est unita corpori, proprie quanta erit, sicut quanta est ipsa entitas materiæ, quam patiter Thomistæ docent non recipere quantitatem nisi ut *quod*, et quatenus per formam actuatur. Si vero neges quantitate immediate affici entitatem animæ: ergo materia est subjectum immediate affectum quantitate, illiusque receptionem terminans. Et nihil aliud intendimus,

(1) Vide *Ontolog.*, num. 431, pag. 1202.

cum solam materiam dicimus subjectum inhæSIONIS ac sustentationis quantitatis (1).

Dices 2.^o Totus homo, prout includens animam, dicitur *quantus*. Ergo bene potest anima rationalis esse subjectum quantitatis ut *quo*. — **Resp.** Totus quidem homo dicitur *quantus ut quod*, seu per modum totius: quo sensu denominatio *quanti* solum significat *habens quantitatem* vel *habens partes extensas*, quæ profecto denominatio convenit homini solum ratione materiæ. Sicut e converso totus homo denominatur *discurrens* et *volens*, quin tamen inde sequatur materiam esse subjectum vel volitionis etiam ut *quo*.

Prob. 3.^o propositio simili modo de aliis accidentibus. Quædam sunt accidentia in corpore genito, quæ præsupponendæ sunt in materia in signo priori ad formam illius substantialem tamquam dispositiones necessariæ ad hoc, ut ea educi ex potentia materiæ queat. Ergo impossibile est, ut saltem ejusmodi accidentia dependeat ab illo corpore genito tamquam a subjecto inhæSIONIS. Si autem illa non dependent, idem de aliis quibusvis dicendum est, iis solis exceptis, quæ ex titulo vel ratione aliqua peculiari vindicarent inhererentiam in forma simul et materia, qualia sunt accidentia vitalia. **Antecedens patet**, quia accidentia illa non aliter disponunt materiam ad introductionem novæ formæ, nisi informando illam in signo priori ad talem introductionem; nec possunt materiam informare, quin sint productæ et existentes. Ergo accidentia illa in signo priori ad formam novam jam existunt. **Consequentia vero probatur**, quia si accidentia prædicta existunt in signo priori ad illam formam, jam in eodem signo sunt extra omnes causas, atque adeo extra causam materialem. Atqui non possunt existere extra causam, quæ nondum est. Ergo nec forma novi compositi nec ipsum novum compositum est causa, a qua dependeat talia accidentia in existendo.

Prob. 4.^o Excludendo rationem præcipuam, cur Thomistæ reformident tribuere materiæ adæquatam causalitatem materialem respectu accidentium. Dicunt enim, ut superius innuebamus, ideo materiam solam non posse esse subjectum

(1) Vide Lossada, loc. cit. num. 75, 76.

dissolvantur.

Instantiæ
contra secundam
rationem.

adæquatum sustentationis, quia cum sit pura potentia, non habet ex se formaliter actualitatem sufficientem, ut alia sustinere in *esse* valeat, quin eam a forma substantiali recipiat. Atqui hæc ratio videtur non satis efficax esse. Nam de facto eadem materia, non obstante sua pura potentialitate, sustentat in *esse* tanquam subjectum adæquatum omnes formas substantiales materiales. Quid ergo vetare potest, quominus etiam possit esse subjectum adæquatum sustentationis formarum accidentalium? An dices plus actualitatis requiri ad sustentandum accidentales, quam substantiales formas? Cum potissimum munus subjecti aliud sustentantis in *esse* non sit proprie virtus et perfectio, sed potius mera passivitas et perfectibilitas.

De mente Aristotelis, quem utraque sententia pro se laudat, videri potest Suarez (1), apud quem et alios priscos auctores plura de hac re videri possunt. (2).

343. *Objic. 1.^o* Materia est pura potentia, nec habet existentiam pro priori ad formam. Ergo donec formam accipiat, qua reddatur existens, nequit recipere accidentia.

(1) *Metaphys.* disp. 14, sect. 3, num. 6, 11, 52 seqq.

(2) Cæterum concedunt plures, nullum esse incommodum in eo, quod quantitas immediate uniatur materiali formæ tanquam *subjecto informationis vel puræ receptionis* (Cfr. *Ontolog.* num. 275, pag. 798, 799), dummodo simul recipiatur in materia tanquam in unico subjecto inhænsionis. Ratio est, quia subjectum mære informationis nec exercet causalitatem materialem, nec importat naturæ prioritatem respectu formæ; nec aliunde forma sic a tali subjecto dependet, ut sine illa etiam naturaliter esse non possit, ut patet in anima rationali. Quamvis ergo quantitas eo modo uniatur materiali formæ, nec ideo habeat causam materialem plusquam adæquatam, nec dabitur mutua prioritas inter quantitatem et formam, nec quantitas in homine violenta erit, licet ibi non afficiat animam, sed solam materiam. Aliunde in forma materiali nulla improportio apparet, ut immediate afficiatur a quantitate, unde etiam fit quanta et extensa per accidens, secus ac forma immaterialis: quamobrem non est, ratio, cur affectio vel unio ista negetur. Idipsum puta de qualitatibus: quæ licet soli materiæ media quantitate inhæreant, ut mox dicemus, poterunt simul uniri materiali formæ tanquam subjecto informationis, ut scilicet forma ista vere afficiatur, ac perficiatur a proprietatibus suis. (Lossada, loc. cit. num. 78). Cfr. P. Quiros (loc. cit. num. 30), De Benedictis (loc. cit., *Dico 3.^a*).

Confirmatur: α) quia materia prius debet compleri in linea substantiali, ad quam pertinet, quam in accidentali, quæ sibi extranea est. β) Forma substantialis est actus primus, secundum vero forma accidentalis. Atqui actus primus secundum præire debet. γ) In eo differunt actus accidentalis et substantialis, quod iste incompleto enti, ille completo seu toti composito adveniat. δ) Materia non patitur seu recipit accidentia prius, quam sit subsistens, nam passiones non minus, quam actiones, sunt suppositorum; non est autem subsistens, donec suscipiat formam. ε) Accidentia in eo subjecto recipiuntur, cui præcipue tribuunt suos effectus formales seu denominationes. Atqui accidentia præcipue denominantur compositum. Ergo...

Resp. 1.^o Hæc omnia nullatenus evincere, quod accidentia sint in toto composito, tanquam in subjecto sustentationis, vel quod a forma quoque partialiter saltem sint sustentanda, sed tantum quod accidentia non possint in materia nuda et solitaria recipi, sed præsupponant materiam aliqua forma actuam. Id quod ultro concedunt plures sententiæ nostræ assertores. Nimirum inter eos, qui doctrinam nostram tumentur quidam putant materiam secundum se et independentem a forma, recipere accidentia; alii vero putant materiam quidem esse adæquatum subjectum quantitatis et cæterorum accidentium, requirere tamen formam substantialem, qua actuetur, sive tanquam conditionem præviam, sive, ut aliis magis placet cum Conimbricensibus, tanquam causam, quæ compleat materiam et ab inertia et potentialitate evocet ad id munus obeundum, siquidem illud exequi non potest, nisi existat sub actu perfecto, neque existere hoc pacto absque ea formæ causalitate. Quia tamen neque id probant omnino efficaciter allata argumenta, indicabo etiam aliam responzionem, ut eligat prudens lector, quæ magis sibi ariserit (1). Itaque

Resp. 2.^o Ad argumentum principale, *neg. antec.*; quia ut ex superius probatis constat, materia non est ita pura potentia, ut non habeat suam aliqualem essentiam et existentiam partialem cum illa identificatam. Deinde adhuc hoc

(1) Vide Suarez (loc. cit. num. 60), Conimbric. (loc. cit. art. 1^{um}).

permissio, *negatur* consequens. Quia si ex ipsa Thomistarum sententia, materia quamvis ex se nullam habeat existentiam, potest nihilominus recipere ac sustentare formam, ac terminare actionem creativam Dei, quid, quaeso, vetat, quominus recipiat accidentia, iisque uniri queat? Dices vetare, quod omne ens prius in sua, quam in aliena perfectionis linea compleri debeat: quæ est primæ Confirmationis ratio. Sed

Ad Confirmationem α) respondeo id, quod in ea obijctur, verum quidem esse, quando perfectiones in linea extranea non sunt dispositiones ad assequendum complementum in linea propria necessariæ. At quantitas et quædam alia accidentia sunt, ut jam præmonuimus in probationibus, dispositiones necessariæ ad introductionem novæ formæ, atque adeo ad generandum novum compositum. Unde ad β) *disting.*: forma substantialis est actus primus in ordine intentionis et excellentiæ, *conc.*; in ordine executionis, *neg.* Quod vero accidentia sint in *aliquo sensu* actus primus, etiam fateri debent adversarii, secundum quos quædam accidentia formam substantialem præcedunt prioritatem naturæ in aliquo genere causæ. Ad γ) dico, quamvis verum sit, quidquid advenit enti completo seu enti in actu, esse accidentale, non tamen vicissim asserendum esse, donec probeatur, quidquid enti incompleto advenit primo, esse debere substantiale. Quare distinctio inter actum substantialem et accidentalem non videtur præcise atque universaliter in eo reponendum, quod ille prius, hic postea, quam in suo *esse* specifico compleatur, adveniat, sed in eo quod substantialis re vera ad *esse* specificum suppositi alicujus constituendum pertineat, accidentalis vero non. Quædam ergo accidentia adveniunt enti complete constituto, qualia sunt v. g. proprietates totius compositi et alia, quæ contingenter ipsi conveniunt, illudque vel perficiunt, et ornant, vel etiam ad corruptionem disponunt; quæ autem ad novum compositum generandum requiruntur tamquam dispositiones necessariæ, respectu quidem præcedentis corporis adveniunt enti completo, secus vero si comparentur novo corpori generando. Iterum porro monemus etiam ea, quæ completo enti adveniunt, non debere recipi in toto tamquam in subjecto inhæSIONIS ac sustentationis. Ad δ) respondeo, in sententia

eorum, qui materiæ primæ suam partialem asserunt subsistentiam (1), nullam esse difficultatem, quia tunc materiæ pro priori ad formam sua competeret subsistentia. Verum adhuc admissa contraria doctrina, negatur subsistentiam compositi alicujus debere præcedere quascumque passiones, etiam ad ipsam formæ novæ introductionem præparantes, ut patet in ipsa passione, qua materia formam substantialem recipit, quæ profecto præcedit materiæ subsistentiam, supposito quod hæc formam subaudiat, vel ab eadem procedat. Denique ad ϵ) respondendum est, instantiam manifestam esse in denominationibus *volentis, judicantis, sancti, prudentis, etc.*, quæ pariter præcipue ac proprie tribuntur toti homini, et nihilominus proveniunt a formis in sola anima rationali receptis. Omnibus ergo æque fatendum est ad hoc, ut totum ab accidenti aliquo denominetur ut *quod* ac per modum subjecti principalis, necesse non esse, ut illud in toto recipiatur (2).

Objic. 2.^o Accidentia sunt proprietates compositi, ab ejus forma dimanantes efficienter. Ergo nequeunt in materia recipi ante formam.

Resp. *dist.* antec.: aliqua, *conc.*; omnia, *neg.*, nam multa solent esse in composito accidentia communia, quæ non pullulant ab essentia, sed vel a causis externis inducuntur, vel etiam ex præcedenti composito relicta sunt.

Transeat consequens, et *nego* iterum, quod exinde sequatur accidentia, etiam ea quæ proprietatis rationem habent, debere in forma, unde dimanant, atque adeo in toto composito, recipi tamquam in subjecto sustentationis. Nam ex eo solum quod forma sit principium, vel si vis etiam causa efficiens, unde fluunt proprietates, ut summum colligitur ex superius concessis, eam esse subjectum informationis, non autem eam necessario esse debere etiam veri nominis causam materialem, seu subjectum sustentationis. Nec repugnat accidentia manare efficienter a forma, et materialiter conservari a sola materia; sicut ipsa forma substantialis, quæ ab externo agente educitur effective de

(1) De quo vide *Ontolog.*, num. 301, *Quaritur quinto*, pag. 881.

(2) *Lossada*, loc. cit. num. 81-85.

potentia materiæ, ab ipsa materia conservatur in genere materialis causæ.

Objic. 3.^o Si quantitas in sola materia reciperetur, esset incorruptibilis; si quidem nec perire posset ex defectu subiecti, materia enim incorruptibilis et ipsa est, nec ex oppugnatione contrarii, nam quantitas contrarium non habet, ut superius dictum est agendo de ejusdem proprietatibus.

Resp. conc. sequelam, ut jam innui etiam in *Ortologia* (1), et recte probat Eximius Doctor (2); et sequitur ex eo, quod quantitas sit proprietas materiæ vel compositi ratione materiæ, quemadmodum communissime loquuntur Philosophi, et egregie declarat prædictus Franciscus Suarez: hinc enim convenientissime dicendum videtur, quantitatem esse materiæ cœvã, ab ea inseparabilem et incorruptibilem quoad suam entitatem, licet quoad varios terminos possit incipere et desinere esse per divisionem et conjunctionem partium, et hoc pacto sit corruptibilis integraliter seu quoad uniones integrales, sicut ipsa quoque materia eo modo potest dici corruptibilis. Ex quo etiam intelligitur, cur motus ad quantitatem non sit productio novæ quantitatis, sed *accretio*, id est adjunctio unius quantitatis ad aliam, quia per ejusmodi motum non incipit esse simpliciter nova pars quantitatis in rerum natura, sed una quantitas adjungitur alteri, ut quæ erat aliena, fiat illius propria per specialem actionem assimilationis, ad hoc natura sua tendentem.

Dices 1.^o Quantitas est proprietas compositi secundum gradum corporis. Sed hic gradus provenit a forma, sicut gradus viventis, animalis etc., provenit a forma certæ speciei. Ergo quantitas est proprietas compositi ratione formæ.

Resp. 1.^o Necessè non est, ut «peculiaris aliqua species accidentis respondeat composito secundum gradum corporis; cum enim hic gradus sit genericus, solum exigit proprietatem genericam, quæ potest esse qualitas materialis, ut sic. **Resp. 2.^o dist. conseq.:** quantitas est proprietas compositi ratione formæ, tamquam finis aut tamquam radicis pure exigentis, *conc.*; tamquam radicis efficientis per emanationem,

(1) Num. 399, pag. 1149.

(2) *Metaphys. disp.* 14, sect. 3, num. 59. Cfr. num. 57, 58.

neg. Itaque sicut materia ordinatur ad formam ut ad finem, et a forma exigitur, ideoque dici potest debita compositi ratione formæ; ita etiam quantitas, sine qua nequit materia esse subjectum idoneum formæ nec operationum ejus. Cæterum sicut non ideo materia dimanat efficienter a forma, sed ad eam præsupponitur; ita de quantitate censendum. Ut autem quantitas absolute dicatur proprietas compositi, satis superque est, quod a materia dimanet, et a forma exigatur ad connaturaliter existendum et operandum, quamvis dici nequeat proprietas formæ seorsum spectatæ, ex defectu dimanationis et inhæisionis. Hæc intellige de quantitate interminata; nam prout certis dimensionibus aut terminationibus affecta, potius est effectus formæ vel generantis, quam materiæ» (1). Quantitas quippe dicitur interminata, quatenus præscindit a certa figura et mensura, nullam enim determinatam postulat ex se materia, sed determinatio illius provenit in certis corporibus ex exigentia formæ, vel etiam ex causarum efficientium operatione: id patet præsertim in viventibus, in quibus formæ substantiali tribuendum est, quod certam figuram præ se ferant, vel certam molem habeant, aut saltem non excedant.

Dices 2.^o Quantitas nequit esse vere proprietas materiæ, nisi ab ea dimanet active. Atqui nequit a materia quidpiam dimanere, quandoquidem nulla pollet activitate, sed est pura potentia. Ergo...—**Resp. neg.** Majorem et Minorem. Duobus enim modis intelligi potest naturalis conjunctio inter materiam et quantitatem, propter quam hæc illius proprietas dicatur: «primo solum ratione potentiæ passivæ intrinsece natura sua postulantis talem affectionem. Neque enim necesse est, ut omnis innata proprietas sit debita ratione principii activi, sed interdum sufficit passivum: quo modo multi existimant... intellectui angelico esse naturales species intelligibiles secundum potentiam receptivam, non activam. Secundo modo potest intelligi per intrinsecam dimanationem activam. Et licet prior modus sufficiat, hic posterior nullum habet inconveniens, quia, licet materia sit potentia ad formam substantialem, in se tamen habet veram essentiam

Quomodo
possit quantitas
a materia
demanare.

(1) Lossada, loc. cit., num. 87.

actualem et entitativam; quid ergo mirum, quod ab illa manet aliqua proprietas ipsi proportionata? Quod enim materia non sit activa per propriam actionem, ideo est, quia, cum sit pura potentia, nec potest agere rem sibi similem, quia deberet creare illam; nec potest agere in similem potentiam, quia non habet ex se actum proportionatum, nisi in potentia tantum receptiva. Sæpe autem contingit, ut res, quæ non potest agere propria actione in aliud, habeat intrinsecam dimanationem in se; ut substantia angeli non habet vim activam similis substantiæ; habet tamen vim, a qua in ipsa dimanent potentiæ sibi proportionatæ; et forma substantialis juxta receptam doctrinam non est immediate activa formæ accidentalis, et tamen per intrinsecam dimanationem manat intellectus ab animæ (1).

§ II.—UTRUM QUANTITAS SIT PROXIMUM SUBJECTUM
CORPOREARUM QUALITATUM.

344. Negant inter alios paucos Hurtado, Arriaga et De Benedictis (2) cum quibusdam Nominalibus ac veteribus auctoribus, quos laudatos habes apud eosdem Hurtadum, De Benedictis, et Conimbricenses (3), et Suarez (4). Affirmant tamen communissime reliqui auctores, quantumvis disidentes in præcedenti quæstione (5). Quæ videtur etiam esse S. Thomæ doctrina (6), quidquid reclamat P. De Benedictis.

(1) Suarez (*Metaphys.*, disp. 14, sect. 3, num. 58), apud quem hæc controversia per totam illam sectionem sapientissime discussa legi potest. Cfr. auctores alii superius citati.

(2) Vide Hurtad. (loc. cit. subsect. 2), Arriaga (loc. cit. subsect. 5, 6), De Benedictis (loc. cit. paragr. 4).

(3) Loc. cit. art. 2.

(4) *Metaphys.*, disp. 14, sect. 4, num. 4.

(5) Ita cum pluribus priscis Scholasticis Conimbricenses (loc. cit. art. 2), Suarez (loc. cit. sect. 4, num. 5 seqq.), Bellarminus (*de Eucharist.*, lib. 3, cap. 24), Lugo (*de Eucharist.*, disp. 10, sect. 1, num. 7), Joannes a S. Thoma (loc. cit.), Rhodes (loc. cit.), Soares Lusitanus (loc. cit. paragr. 4, num. 106), Oviedo (loc. cit.), Semery (loc. cit., *Dubitatur autem*), Lossada (loc. cit. cap. 6), Antonius Mayr (loc. cit. num. 1447), etc.

(6) Vide loca citata in *Ontolog.*, num. 281, pag. 822, ac nominatim 1. 2. quæst. 7, art. 1, ad 3.^{am}; 4.^a dist. 12, quæst. 1, art. 1, solut. 3 fin.; opusc. *de Natur. accidentis*, cap. 1; *de Virtut.*, quæst. 1, art. 3.

Sententiæ
Auctorum.

Nimirum communissimum est inter Philosophos asserere, quod non omnia accidentiæ sint immediate in suo subjecto (sive illud sit sola materia prima sive totum compositum), sed aliquod immediate, et alia mediate, nempe medio priori ac supposito illo. Quamquam mox discrepant inter se in statuenda conditione ac ratione hujus medii, quod sit quodammodo subjectum reliquorum accidentium, aliis contententibus illud esse subjectum dumtaxat quo, aliis vero subjectum quod proximum, qua de re sufficient, quæ dicta sunt in *Ontologia* (1). Porro subjectum ejusmodi (sive quod, sive quo) cæterorum accidentium frequentissima tenet opinio esse quantitatem, prætermissis et excluso commento Pauli Soncinatis et Chrysostomi Javelli (2), qui principium illud aristotelicum: *Actus et potentia sunt in eodem genere* (3), perperam interpretantes, arbitrati sunt, ut accidentia recipi queant in substantia, prærequiri in ea potentiam aliquam, quæ nec sit materia nec forma, sed accidentalis quedam entitas, *reductive pertinens ad idem prædicamentum, in quo est ipsum accidens receptibile*. Hisce pro quæstionis declaratione præmissis, sit

345. PROPOSITIO. Cætera accidentia, de quibus in toto hoc articulo disputatur, probabilius videntur in quantitate immediate recipi, eaque media in materia.

Prob. Accidentia probabilius in quantitate proxime recipienda sunt, si id experientia quodammodo confirmari videtur, nec repugnet generali conditioni accidentis, ut aliis accidentibus substet. Atqui ita se res habet. Probatur prima pars Minoris. Nam colores communiter dicuntur esse in superficie, et calor cum diffunditur per corpus, per ejus quantitatem extenditur. Item affectiones quantitatis sunt raritas et densitas, non solum formalis sive in actu secundo, quæ in extensione actuali consistit, verum etiam radicalis sive in actu primo, quæ ut inferius probabitur, in qualitate quadam

Cætera
accidentiæ
in quantitate
immediate
recipiuntur.

(1) Num. 281, pag. 820, *Altera vero difficilior est quæstio*.

(2) Vide Soncinatem (*Metaphys.*, lib. 12, quæst. 27), et Javel. (*Metaphys.*, lib. 12, quæst. 8).

(3) De quo vide *Ontolog.*, num. 228, pag. 626 seqq.

consistit. Profecto si raritas et densitas sint immediate in materia, eidem immediatius, quam quantitati, præstabant formales effectus *rarae ac densæ*, cum materia non sit incapax eorum. Hoc autem est contra sensum omnium, qui hosce effectus a quantitate derivant in materiam, non e converso. Figura etiam est immediate in quantitate. Idipsum denique cernitur in sanctissimo Eucharistiæ miraculo, ubi adsunt omnia panis et vini accidentia, nec aliud habent subjectum præter quantitatem. Quod si contendas cum quibusdam apud Cardinalem de Lugo (1), qualitates corporeas in Eucharistiæ sacramento nullatenus inherere quantitati, sed immediate a Deo sustentari, in primis dicendum tibi erit consequenter, α) Hostiam sacram non posse naturaliter calescere, nec impelli, nec aliter pati ab agentibus naturalibus, utpote quæ nihil agere possunt nisi in rem quantam et media quantitate: β) omnia ibi accidentia erunt dissoluta et inconnexa, nec poterunt proinde sine novo miraculo Dei ad motum quantitatis moveri: γ) nullam pugnam ibi esse cum accidentibus corruptivis et naturalibus agentibus, nam omnis ejusmodi pugna circa commune aliquid subjectum exercenda est, unde nec dari poterit naturaliter corruptio specierum, δ) Ex quibus omnibus sequitur multiplicanda esse miracula sine cogente necessitate, ne videlicet admittatur id, quod ipsa sensuum experientia testari videtur.

Dices forte, in Eucharistia quidem, operante Deo, cætera accidentia inherere quantitati; inde tamen non sequi, quod etiam inhaereant in connaturali statu, quia tunc habent aliud subjectum, materiam ipsam primam, a qua sustententur, ac dependeant in esse.—Respondeo. Fateor equidem id non ineluctabili necessitate sequi; sequitur tamen, opinor, satis probabiliter. Quia si nulla est improportio in quantitate ad sustentanda alia accidentia, supposito quod ipsum prius sustentetur vel a materia naturaliter, vel a Deo miraculose, qualis certe improportio nulla datur; convenientius dicitur accidentia illa, prout inhaerent in quantitate post miraculum, simili modo inhaesisse ante patratum miraculum. Quare donec urgens ratio aliqua in contrarium adducatur, superflue fingitur

(1) Loc. cit. sect. 1, num. 5.

nova et miraculosa inhaesio in illis accidentibus, quæ sic ab uno subjecto in aliud transmigrarent, nempe a materia ad quantitatem; dicendumque potius cum Aquinate conferri *dimensionibus, quæ fuerunt panis, ut sine subjecto subsistant in hoc sacramento, quod est prima proprietas substantiæ*; et per consequens datur eis, ut sustineant alia accidentia, sicut et sustinebant, quando substantia eis suberat (1).

Pobatur secunda pars Minoris. Quod non repugnet generalis accidentis conditioni, ut aliis substare possit, patet in variis exemplis. Nam imprimis habitus operativi immediate inhaerent potentiis, ad quas juvandas ordinantur, quæ proinde illis substant; habitus enim non juvant potentias, nisi facilitatem præbendo ad actus, præbent autem hanc facilitatem, non agendo aliquid in illis, sed informando eas. Unde Theologi docent fidem divinam esse in intellectu, et charitatem in voluntate. Similiter species impressæ recipiendæ sunt in potentia cognoscitiva iisdem proportionata: et actus vitales generatim loquendo, cum sint essentialiter immanentes, debent in proximo principio, unde procedunt, immediate recipi, videlicet in potentiis, quas nunc supponimus esse accidentia realiter ab animæ substantia distincta (2).

Dices 1.^o Testante Aristotele (3), accidens non inhaeret accidenti.—Resp. Philosophum recte posse ita explicari, ut solum voluerit nullum accidens posse esse primum subjectum *quod*, et fundamentum alterius. Cui doctrinæ nullatenus repugnat, quod accidens a substantia prius sustentatum, possit vicissim alia sustentare (4).

Dices 2.^o Forma nequit esse principium patiendi aut recipiendi: alioqui confunditur munus formæ cum officio materiæ. Atqui omne accidens est vera forma accidentalis. Ergo non potest esse principium alterius accidentis receptivum.—Resp. *dist.* Major. Forma quatenus est forma, vel quatenus informat, et actuat aliud, *conc.*; quatenus et ipsa perfectibilis est, *neg.* Et *neg.* conseq. Quod enim est forma

(1) S. Thom., 4.^a dist. 12, quæst. 1, art. 1, solut. 3. fin.

(2) Lege de his P. Lossada loc. cit.

(3) *Metaphys.* lib. 4, text. 13 et 14.(4) Cfr. S. Thomas. (*Metaphys.* lib. 4, lect. 7, paragr. ultimo), et Suarez (loc. cit. sect. 4, num. 4).

respectu unius, potest esse potentia respectu alterius, ut constat in anima rationali, quæ est actus ac forma materiæ, et simul subjectum suarum potentiarum spiritualium.

Dices 3.^o Qualitates materiam disponunt ad formam substantialem. Ergo materiæ inhærent.—Respondeo, sufficere, quod inhæreant mediate. Qualitates enim eatenus disponunt materiam, quatenus et expellunt accidentia contraria novæ formæ, et indifferentiam materiæ determinant. Utrumque autem præstare possunt absque immediata inhæensione in materia; primum quidem, quia contraria accidentia pariter inhærebant qualitati; secundum, quia indifferentia materiæ determinatur eo ipso, quod quantitatem recipiat talibus qualitatibus affectam. Si enim indifferentia, quam agens æquivocum habet ad plures effectus, v. g. sol ad siccandum lutum, ad emolliendam ceram, ad varias functiones vegetales exercendas in plantis etc., ad unum præ aliis adstringitur a dispositionibus, in passo existentibus, haud ægre poterit quoque indifferentia materiæ limitari ac determinari a dispositionibus in propria quantitate receptis (1).

Dices 4.^o Munus quantitatis proprium est extendere subjectum et penetrationem corporum impedire. Ergo frustra obtruditur novum istud munus recipiendi alia accidentia. Cum potissimum nullo ex capite videatur materia improporcionata ad recipiendas immediate qualitates, sicut immediate recipit quantitatem.—Resp. Illud quidem esse primum quantitatis munus; undenam autem probatur esse unicum? Quod autem materia non sit proportionata ad recipiendas immediate qualitates, sicut recipit quantitatem, satis colligitur ex allatis rationibus et indiciis valde probabilibus. Et hactenus de his. Plura dabunt Suarez et alii veteres Auctores.

(1) Lossada, loc. cit. num. 93.

CAPUT II.

DE VARIA CORPORUM ACTIVITATE.

Stabilita realitate qualitatum activitatumque ac virium corporearum, necesse est, ut ad earum varietatem inquirendam gradum faciamus: non enim pauciores hostes habet nostris diebus inter naturalium scientiarum peritos multiplicitas, quam ipsa corporearum virium realitas. Plures sane passim omnium sermone perhibentur vires et activitates corporum; quæ tamen dicuntur esse nonnisi diversæ manifestationes unius ejusdemque realitatis, quæ varias respectu sensuum nostrorum induat formarum species. Cum ergo hactenus generatim probata sit contra recentiores existentia alicujus activitatis, corporibus inhærentis atque ab omni motu et actione distinctæ, videndum est, utrum una dumtaxat, an vero specificè multiplex admittenda sit in corporibus activitas.

ARTICULUS I.

**Utrum omnis corporum activitas
ad purum motum localem, vel certe ad vim
loco motricem revocetur.**

346. Unanimis est ferme vox recentiorum Physicorum, omnia corporea phænomena, quæ nostris sensibus objiciuntur sub nomine caloris, lucis, electricitatis, magnetismi, gravitatis, elasticitatis, cohesionis, affinitatis chemicæ, aliud re vera in seipsis nihil esse præter localem motum (1). Unde

Opinio
communis
Physicorum;

(1) «Les phénomènes physiques considérés en eux-mêmes, et abstraction faite de leurs rapports avec les êtres capables de sentir et de percevoir, se réduisent à des mouvements. Le son, séparé des perceptions de l'ouïe, la lumière et la chaleur, séparés des sensations qu'elles font éprouver, l'électricité, le magnétisme, séparés des effets divers qu'ils peuvent produire sur des êtres sensibles, ne sont que des mouvements. Les mouvements physiques, recontraient les organes